

Tractatus Sive Historia

99%

- i. 18 Predigk yrobo d3 symbolim Athanasij Doctor
Danielis Langij Superintendantis Elsenhorf
 2. Deni ~~L.~~ Predigk M. Lauronij Sobaldi prima
Super obitum Valent. Langij. Etta signo introductione
 3. dict Gafus predigk M. Facobi Chrostek
^{M. Crust. Seringsb.}
 4. Warhaftige refutatio[n]s scripta ad Paulini Librik
Cont h. Early in 8bergaden.
 5. ob die Augstmauer der Storken scripta Lindpilij ad mit
et Verbis Christi Date Casari q[ui] sunt Casari, &c
 6. Intra die nos Margnardi Freiburgi.
 7. Dr Catifa Colomini Joach: Drly ut p[re]tulit.
 8. Okatio d[icitur]: Benedicti Mandinae ad polonus.
 9. Ep[istola] Ioannis fccij directione s[ic] iuxta suorum
Responsio Bartolomei Latomij. Cum Buccep
 - 10.

P. 4. 137

Theologie

Q. 11. ~~39t.~~ 684

RESPONSIO
BARTHOLOMAEI LATOMI AD
epistolam quandam Martini Bucceri de dispen-
satione Eucharistiæ, & inuocatione diuo-
rum, & de cœlibatu sacerdotum, in
qua interim Ecclesiæ & san-
ctorum patrum autho-
ritas acerrime de-
fenditur.



COLONIAE, ex officina Melchioris
Nouesiani, Anno M. D. XLIII.

Am 26. und 27. Jan. 1718
Grauen und Grün für Regimentskrieg und Blau
für das



Leib- und Leibwächter
für II K B Satz 86

CLARISSIMO

THEOLOGO D. MARTINO BVC^o

cero Bartho, Latomus LL. Doctor S. D.



V M his diebus ex aula domū redijssem,
inueni literas tuas cū scripto Philippi cō-
tra delectos Cleri Colonensis , quod ad
me misisti. Ex literis intellexi studium tu
um & curam in negocio religionis,& qd
nonnihil offensionis cōceperis aduersum
me, quod in sermonibus meis à vobis dis
sentire dicar. De scripto Philippi petis à
me, vt id legam diligenter,& rescribam ad te, quid in eo deside
rem, aut quid maxime reprehendendum esse putem: fore apud te
vnum, quicquid scripsisse, neq; ad alium perueturum esse. Ad
hæc vt paucis tibi respondeam, ac morem geram voluntati tuę,
primum illud abs te peto, ne me putas mutasse sententiā, & nūc
aliud sentire, quām olim senserim. Deinde, ne me existimes qua
si Theologum tecum descendere in certamen , sed tanq; vnum
de plebe obsequi voluisse petitioni tuę, quam negligendam esse
non duxi, vel propter amicitiam , quæ mihi Argentinæ tecum
contracta fuit, vel quia tanto studio obsecrasti me, vt sine podo
re recusare non possim. Ego in cognitiōe sacrarum literarum
versatus non sum, necq; eam curam ad me pertinere putaui, sed si
quid intelligo, aut etiam iudico de his rebus, quæ per ora omni
um hodie volitant, id suppetit mihi ex communibus locis, quos
partim legendi succisiis horis, partim audiendo multis & va
rijs occasionibus collegi. Etenim multis iam annis nullus pene
angulus tam obscurus in Germania fuit , in quo non apparue
rint libelli quæstionum Theologicarum, aut in quo voces con
cionantium disputantiumve conuitia non personuerint. Sed re
prehendis fortasse me, quod huic studio deditus non sim. Res
pondeo varias esse, vt in vita hominum, ita in Ecclesia Dei mune

A ij rum

RESPONSIO BART. LATOMI

rum functiones: alijs terram colunt, alijs exercent artes, alijs docēt, alijs imperant, alijs seruiunt Euangeliō, & rei diuinæ coperam nāuant. Quod si omnes vni studio addicti essemus, careret Ecclesia necessarijs præfidijs, nec diu hunc statum tueri posset. Ego priorem partem ætatis mee consumpsi in Gymnasijs, non ignave, vt opinor, nunc ad Rempublicam me contuli, quod ita & natura mea, & fortuna hortari videbatur. Hāc elegi spartam, qua contentus sum, atq; vtinam eam pro dignitate ad vtilitatem multorum ornare possem; non viliores, crede mihi, partes, quām si concionator essem in Ecclesia, sustinere me putarem. Sed cur disputas, inquis, de religione, si Theologus non es? Cur disputat tota hodie Germania? cur indocti multi & prophani hoc pessime faciunt, quos à vobis excitatos esse video? An cum mulierculæ in balneis & conuiuijs de Eucharistia, de sanctorum inuocatione, de Missa, de multis alijs magnis & inusitatibus rebus garriunt: ego sicubi in virorum congressum incidero, vbi multa pariter absurdā, multa indigna audiuntur, ita lentus ac patiens ero, vt nihil in omnium sermone eloquar: præsertim cum interdum prouocari me ab aliquo, & meam expeti sententiam videam: Hæ sunt disputationes mee, de quibus audisse te scribis in epistola tua, quæ si offendunt aliquem, culpam imputet ījs, qui hanc licentiam inuexerūt in Germaniam, nullumq; fere locum vacuum ab ea reliquerunt. Sed vt ad rem veniā, scribis ad te delatum esse, non per leues homines, me sumpsisse mihi iure diuino afferere inuocationem diuorum, & quod à sacerdotibus cœlibatus exigendus sit. Item, quod studiose defendere soleam, partem sacramentitatum in Eucharistia dispensari. Hęc ita ad te delata esse, vt credam Buccere tibi, quem caussam fingendi nullam habere arbitror, tamen non possum æquo animo ferre delatoris vanitatem, qui de sermonibus meis si quid dixit, in eo fortasse mentitus non est, sed quod ullam diuinī vel humani etiam iuris facultatē mihi in hac caussa arrogauerim, in hoc sane impudēter, qđ in mentem ei venit, id dicere quoq; non puduit. Sed mitto delatorem.

AD EPIST. BVCCERI.

torem. Respondeo tibi de Eucharistia primum, me semper
in ea opinione fuisse, maiorum authoritate fatus, ut crederem
tantundem sub vna specie contineri, quantum sub duabus. Ita
enim Augustinus, ita Ecclesia plusquam mille annis credidit.
Quid enim, seruator noster Christus, cū in cœna illa panem so-
lum tenens, hoc est corpus meum, diceret, tu non verum & per-
fectum corpus extitisse credis? Et rursus sumpto calice, cum di-
ceret, hic est sanguis meus, tu nō verum in corpore sanguinem,
sed fusum iam per vulnera, & à corpore seiunctum fuisse puta-
bis? Num igitur falsus fuit Christus, cum de solo pane corpus,
de solo vino sanguinem suum dixit: nisi forte exangue corpus,
nec sanguinem commixtum carni, sed priusquam funderetur in
cruce, in sacramento iam fusum intellexit. Quod si absurdum
est, quid aliud dici potest, nisi vnum & indiuiduum corpus esse
sub specie panis & vini, & idem ipsum corpus sub altera specie
tantum contineri? Etenim diuidi nō potest, quod vnum solum
& indiuiduum est, nec si species sacramenti duæ sunt, idcirco di-
uisum est corpus, nec si vna species, idcirco & corpus vnum est,
sed vnum numero corpus, quia substantia vnum est, quod nec
diuidi in partes, nec in aliud quicquam discerni, cum vnum sit,
potest. Sed cur mutas, inquis, Christi institutum, qui hoc sacra-
mentum porrexit sub vtraq; specie discipulis? Porrexit, fateor,
sed idcirco non vetuit, quo minus sub vna quoq; specie porrige-
retur fidelibus, præsertim cum ipse eodem modo duobus disci-
pulis post resurrectionem, ut sentit Augustinus, porrexerit. De-
inde porrexit solis apostolis, id quod Ecclesia etiamnum obser-
uat in sacerdotibus, qui cum sint ministri Ecclesie, & sacram il-
lam cœnam peragant populi nomine, recte imitantur institutum
magistri eodem ritu, quo ipse prodidit. Iussi autem hoc ipsum
facere in memoriam ipsius, passionem quoq; repræsentant sub
corporis & sanguinis imagine. Corpus enim suspensum in li-
gno profudit sanguinem, & vtruncq; separatum ab altero redem-
ptionis nostræ munus impleuit. Audio, inquis, quæ dicis de sa-

A iii cer

RESPONSIO BART. LATOMI

cerdotibus, sed cur laicis species vini adempta est, cum Paulus eam Corinthijs, & prima Ecclesia oīibus fidelibus porrexerit. Dico licuisse hoc in prima Ecclesia, & hodie licere, nisi antiquatum esset multorum temporū consensu, & postea decreto Ecclesie abrogatum. Cum em̄ rudis adhuc esset prima Ecclesia, ritum à Christo acceptum religiose tenuit, donec docta à patribus intellexit vtrāq; speciem conuenire sacerdotibus, laicos solo pane cōtentos esse posse. Itaq; hunc ritum deinceps tenuit multis seculis, donec Husitarū hæresis decreto caussam dedit. In Basiliensi igit concilio, vt nosti, calicis usus adēptus est laicis, nō vt fraudarentur participatiōe sanguinis Christi, quē nihilo minus sub pane cōsecrato percipiunt, sed vt tolleretur error simpliciū, qui putabant à corpore sciunctum sanguinē, & in duobus sacramētis Christū diuisum esse. Sed & aliæ caussæ fuerunt nō leues, quæ referuntur à Theologis, quas qa non ignoras, cōsulto prætermitto. Verū vtcunq; sit, mihi satis esse debet, qd Ecclesiæ ita placuit, cuius authoritas contemnendanō est, & in quā inquire nephas esse puto. Sed negas fortasse Ecclesiā fuisse, quæ hoc statuerit, primum quia Græci nō interfuerint, itaq; nō fuisse vniuersale cōcilium. Deinde schisma extitisse inter summū Pontificem, & eos qui Basileæ cōgregati fuerunt. De Græcis rñdeo, quod schismatici fuerint, & sint hodie, ppter articulum de spūs sancti processione, in quo & alijs plerisq; dissentient à Latina & vera Ecclesia, & ab eadē iam olim discesserunt. Quod ad Pontificem attinet, is primum approbavit Basiliense cōcilium & acta eiusdem, præser tim contra Bohemos, decreto confirmauit. Deinde mutauit sententiam, id quod facere nec potuit, nec debuit, & conatus est dissoluere cōcilium, quod à Martino Pontifice institutum, ab ipso confirmatum fuerat. Illud tamen satis cōstat, conuentum illum, qui cum Pontifice Ferrariæ primum, deinde Florentiæ cōgregatus fuit, neq; improbasse decretum hoc, quod de dispēsanda Eucharistia factum fuit, neq; si interfuisset, improbaturū fuisse, præsertim cum iam ante in Cōstantiensi concilio Hussitana hæresis damnata

AD EPIST. BVCCERI.

damnata esset. Sed qualiscūq; fuerit illa congregatio, ego existimmo authoritatem Ecclesiæ penes eos fuisse, qui nomine eius conuenerant, secundum Christi promissum, qui ait: Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quam petierint, fiet illis à patre meo, qui est in cœlis. Vbi enim sunt duo vel tres cōgregati in nomine meo, ego cum eis sum. Quibus verbis clarius dici nihil potuit, omitto quod alibi toties spiritus sanctus Ecclesiæ permittitur. Sed dicas fortasse, eos qui in concilio fuerunt, non Christi, sed suo nomine coactos fuisse, ut qui nō quæsierint Ecclesiæ unitatem, sed suis rationibus studuerint, oppugnarint Pontificem, & quicquid libuerit, suo arbitratu decreuerint. Hoc difficile dicere est, nedum creditu, tot tantosq; viros cōuenisse, ut aliud quererent, quām Ecclesiæ unitatē, præsertim cum hoc ipsum concilium duobus ante concilijs, quæ præcesserant, Senensi & Cōstantiensi, constitutum fuisset, & postea confirmatum, vt dixi, non à Martino tantum, sed etiam ab ipso Eugenio Pontifice, qui has turbas postea excitauit. Sed esto, fuerint nonnulli ex tāto numero improbi, fuerint illi ipsi etiam, qui præfuerint concilio, tentarint aliquid contra Pontificem, quod inconsultum fuerit, quod Ecclesiam turbarit, an idcirco minus legitimum fuit conciliū? In iusti, inquis, erant hoīes & ambitiosi, nec ad tātam rem gerendam idonei. Quid tu reges, etiam si tyranni sint, reges nō esse putas? Episcopos, etiā mali sint, episcopos esse negas? Cur igitur Caiaphas Pōtifex? Cur Iscariotes apostolus? Multū refert, quo nomine quid facias, qualiscūq; sis, qui facis. An non in nomine Christi eieciunt dæmonia, etiā qui de numero Christi nō erāt? Quō aut̄ prophetauit Caiaphas: vtrum q̄a Iudęus: an quia Pontifex erat? Quid ita: quia hunc ordinem Deus in Ecclesia esse voluit, nec non malo sacerdoti, non quia malus, sed quia sacerdos est, hanc vim & potestatem contulit. Itaq; dixit Pilato: Non haberes potestatem in me, nisi tibi data esset desuper. Et Paulus ius sit obedire magistratui etiam discolo, quia à Deo esset. Eternum verax & iustus est Deus, qui cū iubet nos parere magistratui, quem ipse

CONCLIO

RESPONSIO BART. LATOMI

ipse dat nobis, quid aliud iubet, nisi ut parendo obtemperemus
voluntati suæ? Quamobrem vere ad Romanos scriptum est: Qui
potestati resistit, Dei ordinationi resistit, neculla excusatione,
qui aliter facit, culpam contumacię purgare potest. Quid igitur?
iniustus est Deus, qui malos nobis dat Episcopos: minime ve-
ro. Sed itavisum est ei, qui sapientia sua gubernat omnia, &
sæpe ita merentur peccata nostra, sicut scriptum est: Dabo tibi re-
gem in furore meo. Et: Ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui
derelicta non visitabit, dispersum non quæret, contritum non
sanabit, &c. Quamobrem quamvis multos tales retroactis tem-
poribus habuerit, & hodie fortasse habeat Ecclesia, tamen quæ
geruntur ab illis, & in hunc usque diem gesta sunt, ordine gesta
sunt, & rata manere debent. Alioqui nihil certum & firmum ha-
beret, neq; vita hæc nostra, neq; religio, sed omnium rerum, acti-
onumq; humanarum sequeretur infinita perturbatio. Habet sen-
tentiam meam de Eucharistia, de qua aliter sentire nondum pos-
sum, nec finit conscientia mea, donec meliora videro. Venio
ad inuocationem diuorum, de qua utinam illud vere dicere pos-
sem, ita viuere nos, ut infirmitatibus nostris subleuandis cœles-
tia præsidia necessaria non essent. Non multus ero in hac parte
sermonis, rem tribus verbis absoluam. Illud sæpe dixi, & hodie
dico, inuocationem diuorum à sanctis patribus, nempe Chryso-
stomo, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Gregorio, multisq;
alijs sanctissimis doctissimisq; viris asseri, eamq; ante mille & du-
centos annos fuisse in Ecclesia, & inde usq; ad nos propagata esse.
His addo scripturæ autoritatem. Hierem. XV. Si steterint,
inquit, Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad po-
pulum istum. Et II. Machab. XV. Iudas dux populi videt Hiero-
miam multis retro annis defunctum vita, orantem pro populo,
& ciuitate sancta Hierusalem. Quæ scripturæ meo iudicio ita
apertæ sunt, ut nulla oratiōe labefactari possint. Quid enim con-
tradici potest, quod vera & probabili ratione subsistat? Conan-
tur quidem aduersarij, sed ego non video, quid proficiant, aut
omnino

AD EPIST. BVCCERI.

omnino proficere possint, nisi quod vereor, ne apud eos hæc se-
mel stet sententia, oppugnare qcquid à Romano Pontifice pro-
fectum in Ecclesia, quicquid authoritate eius de religione con-
stitutum sit. Restat vt de connubijs sacerdotum tibi responde
am, de quo illud affirmare possum, nulla de re minus sollicitum
me esse, aut fuisse vnquā, quām de sacerdotum vel cœlibatu vel
connubio, modo honeste & caste viuant, sicut decet Ecclesiæ mi-
nistros. Itaque iurare ausim, nullum locum in disputationibus
meis rariorem faisse, quemq; libentius in omni sermone prætes-
tierim. Quamquam illud ignorari non potest, Ecclesiam inter-
dixisse connubia sacerdotibus, idq; decretum primum Clemen-
tis illius fuisse traditur, qui in Pōtificatu quartus à Petro fuit.
Hoc decretum Calistus postea & cæteri summi Pontifices con-
firmarunt, addita conciliorum autoritate, ex quo ad hoc vñsq;
tempus sacerdotes & Clerici in vera & catholica Ecclesia cœli-
batum coluerūt. Sed quæris fortasse, quid sentiam de ihs, qui con-
tra hæc decreta vxores duxerunt. Dico eos commississe contra Ec-
clesiam, & pœnis canonici obnoxios esse, recte ne, an secus, vi-
derint h̄, qui sapientius ista disputant. Mihi certe videtur erro-
rem Ecclesiæ (si tamen errat illa) ferendum esse potius, & quasi
iniuriam accipiendam, quām ab institutis illius recedendum.
Nam si parētibus debemus honorem hunc, vt etiam si quid mi-
nus iuste ac prudenter imperent, tamen pereamus eorum volun-
tati, & pio obsequio morem geramus, quanto magis eo animo
erga Ecclesiam esse debemus, quæ genuit nos in Christo, & ali-
menta salutis nobis quotidie in vitam æternam suppeditat. Sed
negas vltra vires quenquam onerandum esse. Fateor, si quidem
vltra vires. Sed Paulo laboranti responsum fuit, sufficit tibi gra-
tia mea. Et Christus in Euangelio frustra laudaret Eunuchos,
qui se castrarent propter regnum Dei, si nemo eam puritatem af-
sequi posset. Vires nostræ tenues, atq; adeo nulle sunt, sed adiu-
uat eas Christus, qui diligit nos, & adest ihs, qui agnoscunt suam
imbecillitatem, & præsidium eius implorant. Multos Ethnicos
homines pure & caste vixisse legimus. Quid nos, qui Christo

B initiati

RESPONSIO BART. LATOMI

initiati sumus, an moliores erimus? vbi igitur crux illa Christi imitatrix? vbi carnis mortificatio? mundi contemptus? an verbo tantum prædicantur ista, nec re præstanda sunt? Audi Christum monentem: Qui non tollit crucem suam, inquit, & sequitur me, nō potest meus esse discipulus. Et alio in loco: Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Qnam vim putas intelligi, nisi quæ adfertur carni atque libidini? Itaq; si secundum carnem vixerimus, moriemur. Sin spiritu vim carnis mortificauerimus, viuemus. At concedis ista, opinor, illud tamen reprehendis, cum quisq; proprium donum habeat, vt inquit Paulus, connubij ius ademptum esse sacerdotibus, qui omnes fortasse continere non possunt. Quid te sacerdotem quisquam fieri coegerit? Sciebas quæ lex esset posita huic ordini, quæ vitæ conditio, cur te ad cœlibatum adstrinxisti? Imprudens feci, inquis. Da igitur pœnas imprudentiæ tuæ, & pugna, quoad viues, contra libidinem. Laborabis cum Paulo, cum alijs multis pijs & sanctis hominibus, sed & vinces cum eisdem, & iuuabit te Christus. Fidelis enim est Deus, qui non patietur te tentari vltra id, quod potes. Quod si dubitas de cœlesti præsidio, iam proditor es tui ipsius, & non humana modo, sed & cœlestia arma proiecjis, indignus Dei auxilio, de cuius desperasti misericordia, & cuius bonitati te credere nolueisti. Sed quid opus est, inquis, venire in hanc necessitatem, & libertatem laqueo onerari, cum prima Ecclesia & Paulus permittant connubia sacerdotibus? De prima Ecclesia nescio, nisi quod apparet ex veteribus patrum decretis, ex maritis aliquando sacerdotes fieri licuisse, opinor propter ordinis infrequentiam, nunquam permisum fuisse, præsertim in Occidentali Ecclesia, vt sacerdotes uxores ducesserent. Paulus certe, et si dicit melius esse nubere, quam viri, tamen non tam videtur permettere connubia fidelibus, quam cœlibatum suadere. Eatenus enim probat connubium, vt tantummodo dicat non peccare eum, qui nubat; cœlibatum autem, & suadet Corinthijs, & ita commendat, vt suo exemplo omnes cœlibes esse velit. Bonum est, inquit, homini mulierem non tangere.

AD EPIST. BVC CERI.

tange. Et Volo vos omnes esse, sicut meipsum. Dico autem non nuptis, sed viduis. Bonum est illis, si sic permanerint, sicut & ego. Et in fine eiusdem capitist: Cui vult mulier nubat, beatior autem erit, si sic permanerit, secundum meum consilium. Sed & caussas interim addit, cur ita existimet. Volo vos, inquit, sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est eorum, quæ domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum uxore est, sollicitus est eorum, quæ mundi sunt, quomodo placeat uxori, & à domino diuisus est. Itaque ad Timothem digamos arcet à ministerio Ecclesiæ, tanquam indignos. Oportet, inquit, Episcopum irreprehensibilem esse, vnius uxoris virum, sobrium, ornatum, pudicum. Et post in quinto capite: Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens. Et caussam mox exprimit: Viduas, inquit, adolescentiores deuota. Cum enim luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Vides his verbis Buccere, quid velit Paulus, quanto studio commendet cœlibatum omnibus, quanta cunctatione nuptias non nisi infirmis concedat. Quid ergo: num infirmi sunt omnes Euangelici assertores religionis, vindices Ecclesiæ, veteris disciplinæ instauratores? Nolo iudicare quenquam, sua cuiusque iudex esto conscientia, tamen impudens sim Buccere, neque ignoscas mihi, si mentiar: ut quisque se dedit Euangeli, & in vestrum ordinem cooptatus est (ministros Euangeli & sacerdotes dico) etiamsi ante inculpate vixerat, tamen continuo quasi crimen sit cœlibatus, implicat se matrimonio, non libidine, ut ego opinor, sed ut multi interpretantur, quasi odio quodam veteris Ecclesiæ: ne si maneat in priori instituto, non viuat quidem honestius, sed consentire Clero papistico, & Antichristi regnum approbare videatur. Quæ est ista disfidendi libido? Ago libere tecum Buccere pro natura ingenij mei, humanitate fretus atque etiam æquitate tua. Pessima est hæc mens vestra, si hoc facitis, plena odij, plena male-

B ii uos

RESPONSIO BART. LATOMI

uolentiæ. Si quid vicij est in Ecclesia, tollatur per vos, fauebimus
virtuti vestræ, atque etiam fortis doctosq; viros prædicabimus.
Quod si ea tētare pergitis, quæ pia & utilia iudicauit antiquitas,
Ecclesia constituit, cōsensus orbis Christiani per tot secula com
probauit. videte ne rem arduā magis, quam speciosam molimia
ni, indignam vobis, intolerandam omnibus. Quam etiam si pfe
ceritis felices operum in hac vita, votorumq; competes, tamē iu
dicium illius sine dubio expectabitis, qui liberabit aliquādo Ec
clesiam suam à diuturna iactatione, & fraudem eorum, qui non
optima fide in ea versati sunt, æterno supplicio vindicabit. Fate
or multa esse in religione, quæ emendationem desiderat, vosq;
in hoc laudo, quod multa fortiter reprehenditis, demonstratis
vicia, doctrinam puram, & mores incorruptos exigitis. Num eti
am eo vsq; progrediemini, ut eripiatis nobis sacramenta salutis?
turbetis ordinem Ecclesiæ: disciplinam veterum supplantetis?
vos solos faciatis iudices: omnem omnium temporum autho
ritatem conuellatis? Quid? mentior in his Buccere? An non to
ta iampridem infelix per vos, & multis modis afflita, testis est
Germania: Utinam falsa sint, quæ dico, quæ iam diu pertulit Ec
clesia, quæ negari non possunt, quæ omnium temporum annali
bus, crede mihi, apud posteros impressa erunt. Quid enim hos
rum negari potest: quæ, etiamsi eloquentissimus sit, qui ostende
re velit, tamen non satis conqueri pro dignitate, nō satis calami
tam Germaniæ deplorare possit. Iacet contempta legum seueri
tas, religio oppressa est, mos maiorum sublatus, nulla pietas, nul
lus metus, nullus pudor tenet homines. Fertur equis auriga, ne
que audit currus habenas. Et tamen in his malis tantis finem
nullum inuenire possumus, nisi arbitrio vestro permittantur o
mnia. Diripiuitis Ecclesias, monasteria excidistis, rapuistis bona,
expulisti monachos, virgines polluistis, nunc etiam iudicia tol
tere conamini, ne quid sit in tanta atrocitate, quod metuendum
vobis sit, quod cursum audaciæ vestræ retardare possit. O mores
Euāgelicos. O tempora infelia Germaniæ. Huncine fructum
parit nobis Euangelij instauratio: Siccine medemur Ecclesiæ vul
neribus?

AD EPIST. BVCCERI.

neribus: Hiscene moribus regnum Christi propagamus: Obs-
cro te Buccere, vt æquo animo feras contentionem meam, non
possum temperare mihi, ardeo & doleo, quoties prospicio insta-
tem ruinam Germaniae, quoties hanc temporum calamitatem
in animum reuoco. Sed negas, scio, ista, quæ conferuntur in vos,
& omnia conuertis in aduersarios, quasi horum culpa Deus ira-
tus sit nobis, & pœnas corruptæ religionis exigat. Hos enim su-
stulisse Euangeliū de Ecclesia conquerimini, hos adulterasse
sacramenta fidei, hos idololatriam pro vero cultu introduxisse.
Quid: potest ne aliquando dijudicari hæc quæstio: Ego tantum
mihi non sumo, nec sumpsi vñquam, tametsi de his rebus dispu-
to, nec vos vlliū hominis autoritatem recipitis. Quis igitur iu-
dex erit in tanta controuersia: nam plane necesse est aliquem fo-
re, ne perpetua seditione iactetur Ecclesia. Quis erit igitur, qui
designet authores tantæ importunitatis: Cui credemus in tam
arduo negocio: Scripturæ, inquis, quæ falli nō potest. Recte ais,
& placet iudex. Scriptura verax est, nec mentiri potest, quæ spiri-
tu oris Dei dictata est. Hanc iudicem esse oportet in omni caussa
Ecclesiastica, ad cuius veritatem tanquam ad certissimam regu-
lam omnis doctrina de religione exigenda est. Itaq; hanc meri-
to vos amplectimini, & in ea sedem figitis doctrinæ vestræ. Sed
illud abs te peto, vt mihi respōdeas, sicubi obscura aut ambigua
Scriptura est, id quod sæpe vñ venit, & testatur Petrus de Paulis-
nis epistolis, resq; ipsa, nedum patrum authoritas, fateri cogit,
quo vtemur interprete: Ipsa scriptura, inquis, quæ sui ipsius in-
terpres erit. Fateor hanc optimam interpretem fore, sicubi clara
& confessa sit. At sæpe vñ venit, vt is locus, qui alteri declarando
adhibetur, aut obscurus, aut in eandem partem confessus nō sit,
sed in diuersas trahatur sententias, vt cum de cōfessione priuata
citaf illud Iacobit: Cōfitemini alterutrū peccata vestra, aliud Lu-
therus, aliud Roffensis interpretatur. Item cum de oblatione sa-
crificij in Missa citatur illud Malachiæ primo: Ab ortu solis vñq;
ad occasum magnū est nomē meum in gentibus, & in omni lo-
co sacrificatur & offertur nomini meo oblatio mūda, aliud Buc-

B ij cerus,

RESPONSIO BART. LATOMI

cerus, aliud Eccius in verbo oblationis accipit. Quis hic igitur
item diffiniet: quam sequemur scripturæ sententiam, quæ in
questiōnem ipsa vocatur? Deinde permulta sunt in Ecclesia,
de quibus nihil statuit scriptura canonica, ut de baptismo hæ-
reticorum, de baptizandis pueris, de purgatorio, de multis alijs
magnis & necessarijs rebus. In his igitur quem habebimus iudi-
cem: cuius autoritatē sequemur? Hic hæres opinor. Si enim
scripturam nominas, vides quibus claudare angustijs: sin ab ea
recedis, metuis in patenti campo plagas. Quo te vertes igitur?
nonne cogeris tandem fateri Ecclesiam, quæ autoritate secun-
dum scripturam proxima est, interpretem eiusdem esse, sicubi du-
bia obscurave est. Sin autem oraculo eius aliquid expressum de-
finitumq; non est, in eo quoque Ecclesiæ iudicium non minus
quam illius valere oportere? Quid enim aliud dici potest? An
ignoras Paulinum illud, quo Ecclesia columna veritatis & fir-
mamentum appellatur? An vero Christi promissum, qui dis-
cessurus à discipulis promisit illis se spiritum sanctum missu-
rum esse, qui doceret Ecclesiam? Hæc locutus sum vobis, in-
quit, apud vos manens. Paracletus autem spiritus sanctus,
quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, &
suggeret vobis, quæcumque dixi vobis. Et paulo post, notus
est enim locus: Cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos
omnem veritatem. Quid clarius dici potuit? an non seruauit
fidem promissor? Certe spiritum suum misit non solum dis-
cipulis breui post tempore, sed etiam quotidie mittit in ani-
mos piorum, qui non abundant in sensu suo, nec præfidunt
ingenijs suis: non superbi, non arrogantes, maleuoli, sediti-
osi sunt, sed humiles & mansueti, amantes pacis & unitatis
Ecclesiæ, & sermonum Dei trementes. In his igitur mem-
bris, atque adeo in hoc toto corpore, in quo spiritus Dei habi-
tat, tu dubitas cognitionem de religione: iudicium scriptura-
rum: disquisitionem veritatis constituere? Quid enim habemus
certius: aut quem in tanta difficultate atque inopia consulemus?
Ad Lutherum nos vocas sat is iampridem decessit ab Ecclesia.

Ad

AD EPIST. BVCCERI.

Ad sectatores eius: at iij contemnunt veterem, nouam Ecclesiam sibi condiderunt. Nisi forte hanc vestram veterem esse dicitis, nouam illam, quam ante octingentos annos maiores nostri tenuerunt. Hoc enim sentio vos conari dicere, tametsi interim pudet arrogantiæ. Itaque nec dicere audetis aperte, nec dissimulare comode potestis. Quid potest ne sciri tandem, ubi & quæ vera sit Ecclesia? Magnū certamen inter partes esse video, magnam dimicatiōem. Ego pro meo captu dicā, quod sentio, nec tñ conabor oculos cornicū configere, sed dicā quod sentio. Ecclesia mihi videtur esse fideliū cōmunio, vacās verbo Dei, & sacramētis noue legis vt̄es. Hęc si vera nō est definitio, facile patiar meliorem dari. Sed ego neq; inuenio meliorē, neq; hanc ipsam facile reprehendi posse puto. Primum enim fidelium communionem esse, quæ tam bonos, quām malos cōpleteatur, demonstrat parabola Euā gelica de area, tritico & palea. Item altera de sagena missa in māre. Porro quod verbo Dei vacet, id maxime proprium est non solum totius ecclesiæ, quæ verbo Dei alitur ac viget, sed etiam singularum fidelium, qui per verbum Dei confirmantur in Ecclesia, & non nisi cibo eius sustentantur. Sacraenta instituit nobis primum Christus, deinde per spiritum eius ipsa Ecclesia. Hęc signa certa sunt percipiendæ gratiæ, quæ cōlitus datur in pectora fidelium, & salutari medicina contravim peccati nos munit. Nihil igitur deesse hic aut redundare video, quo minus descripta sit vera Ecclesia. Quare hanc formam eius amplector, non ut Theologus, sed ut de plebe aliquis. Tu fortasse aliam, & tuo iudicio meliorem dabis. Sed ego huic tantisper acquiescam, donec meliorem video. Hanc igitur Ecclesiam tu usquam hodie nisi in consensione fidelium & ordinis Ecclesiastici autoritate esse putas? Dic igitur ubi sit, si hic non est: neq; enim alia mihi videtur esse locandi ratio. Moyses Synagogam populi iudicium esse voluit, eidemq; sacerdotes præfecit, qui non triū de lege, sed etiam de prophanis caussis cognoscerēt. An peiore loco erit Ecclesia? Ille temporarius legislator cum in umbra versaretur, & typum adornaret futuro Euāngelio, tñ prospexit suis, ne laberentur

RESPONSIO BART. LATOMI

tur ab intellectu scripturæ, & sensum legis datæ amitteret. Christus Dei filius, qui lucem veritatis mundo intulit, qui nō legem nobis caducam, sed diuinam ac mysterijs plenam tradi dit, nullos voluit in terris esse iudices: nullos interpretes earum rerum, quas in contentionem venturas esse videbat. Sed fateris opinor ista, & in communionem fidelium locas Ecclesiam. Verum quænam, & ubi sit illa communio, requiris. Est enim hominum viuentium in terris, qui Christo militant. Hanc mouere Lutherus suis sedibus, & Romano Pōtifici extorquere conatur. Contra Pontifex pugnat pro focis & aris, & quamvis ingens certamen sustineat, tamen fretus maiorum autoritate fortissime se defendit. Quid igitur: quem sequemur ducem: utri gubernaculum Ecclesiæ, arcem religionis, spem salutis nostræ committemus? Fuit certa quondam in apostolis & patribus Ecclesia. Protest ne inueniri eiusdem successio: ut siue in bonos, siue in malos propagata sit, existat tamen vera eius soboles, & adhuc germana posteritas agnoscatur. Audi quid in mentem mihi venerit. Christus apud Matthæum sub imagine ouilis de Ecclesia, & de pastore eius loquitur, & tandem addit, vnum ouile vnumq; pastorem futurum esse. Idem alio in loco dicit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi, significans Ecclesiam sua præsentia incolumente fore, & nunquam defecturam esse. Quæ si vera sunt, aut igitur mansit in hunc vsq; diem vna & in diuidua Ecclesia, aut scissa aliquando & diuisa fuit. Atqui diuisa non fuit, cum vna esset, alioqui non vna iam, sed plures fuissent. Mansit igitur in diuidua. At ubi mansit, nisi in apostolis primum, qui eam vt studiosissime, ita felicissime coluerunt? Ab his porro quis accepit? Hebion opinor, aut Valentinus, aut Marcion. Minime vero. Quis igitur: nōne qui apostolicam doctrinam secuti sunt: qui disciplinam coluerunt à maioribus traditam: qui in eadem persistentes vnitatem religiōis & sacramentorum usum in hunc vsq; diem perpetua progressionem tenuerunt? Nam vt quisq; secessit à communione patrum omni tempore, ita pro hæretico habitus est, & de illorum sententia ab Ecclesia

AD EPIST. BVCCERI.

clesia segregatus fuit. Nec enim in Ecclesia esse potest, qui scindit Ecclesiam. Alioqui cur Nouatus, cur Arrius, cur Manicheus fuere extra Ecclesiam: nisi forte scindi potest, & tamē vna manere. Hic Christus. & illic Christus, an tu eūdem Christum esse putas? Quomodo igitur quisq; cum recessit ab Ecclesia, tamen in ea se esse putat: usurpat nomen Euangelici: se solū Christianum, solum pium, doctum, sanctum, apostolicum existimat? O cæcitatem miseram. O caliginem metuendam. Non scidi, inquis, Ecclesiam, recessi ab impijs, tyrannidem Pontificiam ferre non possum. Primum quis te iudicem Pontificis, quis fratrū tuorum constituit? Deinde fuerint impij, sacrilegi, scelerati. Hominum sunt ista, non Ecclesiæ, non ordinis hierarchici. Cur tu de via deflexisti, ppter aliena vicia? Cur te scādalizari passus es? Sed audi Christum respondentem tibi: Super Cathedram Moysi, inquit, sedebunt scribæ & pharisei, omnia ergo, quæcunq; dixerint vobis, seruate & facite, secundum opera vero eorum nolite facere. Nunquid non separat doctrinam à vita sacerdotum: hanc damnans, illam commendans populo? Deinde an non iubet parere illis, quis impij sint, & doctrinam eorum recipi: neq; ex parte recipi, sed totam & sine delectu? Quid ita: nisi vt tollatur inquirendi licentia, & authoritas sacerdotij in Ecclesia confirmetur? Omnia, inquit, & quæcunq; dixerint vobis, facite, quasi spectata sit doctrina sacerdotum, nec fas sit eos contemnere, quos ipse præfectos in Ecclesia esse voluit. Quid enim fiet, si spreta abiectaque ordinaria auctoritate, qui quis ingenio suo indulget, & suum in scriptura iudicium sequatur? Exempla sunt ante oculos, nemo de veteribus Ecclesiæ vulneribus dubitet. Quod si in sacris ministerijs ordo nullus est, nulla prærogativa personarum, nulla auctoritas, vbi sunt donationes gratiarum? vbi manuum impositio? Accipite spiritum sanctum, inquit Christus. An irrita fuit ista inspiratio, quæ etiamnum manet in Ecclesia? Sin autem contulit aliquid accipientibus, nihil ne inter sacerdotem & laicum interesse putas: id quod aliquando negauit Lutherus. Nihil inter eum, qui præst Ecclesiæ, & eum, qui ultimum in ea munus gerit? Sed res

C deo

RESPONSIΟ BART. LATOMI

deo ad defensionem tuam. Recessi ab impijs, inquis, tyrannidem ferre nō potui. Tyrannidem vocas ordinem Ecclesiae, Pontifici am authoritatem. Sed neq; hoc est satis, Antichristi regnum apellas, quasi Euangelicum sit conuicijs caussam agere, & males dicere, si non principi Ecclesiastico, certe Episcopo, qui præsedit consensu orbis terrarum tot seculis in Ecclesia, cui honorem deferre si dignaris, parcere saltem, & à cōtumelijs linguam continere deberes. Ab impijs recessisti, à quibus obsecro: An omnes impij sunt, qui hoc seculo nostro, aut ante quadringētos annos vixerunt in Ecclesia? Dura & improba vox est, si omnes intelligis. Sin aliquos, aut certe plures, tu videris, qui cum ipse peccator sis, alios iudicas. Sed vt donemus tibi hoc, quod Lutherus magna intemperantia, & plusquam tragica insectatiōe populo insgerit, Papam Antichristum esse, sacerdotes, monachos, nonnas, Papisticas creaturas esse. Potest ne subfistere vestra defensio, quia impius fit Pontifex, impius Clericorum cœtus, idcirco licuisse vobis secessionem facere: Dixi modo hominum ista, nō Ecclesiae vicia esse. Quid igitur: à malis hoībus secessistis: at Christus iussit zizania cum trito vsq; ad messem crescere, vt tunc de nīq; malam herbam à bona fruge segregaret. Fugistis tyrannidem scilicet (nam hoc quoq; dicitis) & vos in libertatem Euangelicam asseruistis. Quæ nam est ista tyrannis: Monachatus opinor, primatus Pontificis, diuorum inuocatio, cœlibatus sacerdotum, fine calice communio, Missa pro defunctis, & id genus alia, quæ supra mille annos fuerunt in Ecclesia, introducta à sanctis patribus, & nunc tanto tempore confirmata, vt in hunc vsq; diem in eadem immota permanerint. Quid: vos ne ea ferre grauamini, quæ non dico tulere tot proceres, tot heroes, tot lumina religionis: sed introduxere in Ecclesiam, & cœlesti sapientia, diuinā autoritate ad salutem multorum constituere: At qui viri doctrina excellentes, sapientia clari, pietate conspicui, sanctitate verendi, quorum nonnulli non dubitauerunt pro Euangelij veritate, & pro Christi nomine sanguinem suum profundere. Hos rum ne pietatem vos, horum doctrinam, horum autoritatem

cons

AD EPIST. BVCCERI.

contemnere audetis? Perfrica frontem Luthere, & dic te vidisse
aliquid in diuinis scripturis, quod isti non viderint: aliquid exis-
tiasse ad verum cultum, ad fructum Euangeli, ad disciplinam
Ecclesiasticam pertinere, quod isti non iudicauerint. Homines
fuisse ais, & tu quis es? nisi te forte non homo, sed Deus quispi-
am genuit. Nullius hominis, quantumuis docti & sancti, autho-
ritatem recipis. Ita scribis enim, & negas te ulli hominum, sed so-
li scripturæ crediturum esse. Quid? tibi ipse credis? an etiam tu-
am ipsius doctrinam, quia humana est, suspectam habes? O cæci-
tatem. O incōstantiam risu dignam. Nulli hominum credit Lu-
therus, & tamen suam ipsius sentētiā amat, pro Euangelio ha-
bet. Sed quæro ex te, qui ais te soli scripturæ credere, sicubi obs-
cura vel ambigua scriptura est, quod tu negas, fatentur omnes,
qui sana mēte sunt, cui credis? Hoc est corpus meum dixit Chri-
stus. Hic aliud tu, aliud Oecolampadius interpretatur. Et: Tu es
Petrus, & super hanc petram, &c. aliud in petra tu, aliud Faber
accipit. Hic ergo plana scriptura non est, vel certe in diuersas sen-
tentias trahitur. Quem sequemur igitur? cui in his difficultati-
bus credemus? Sed redeo ad te Buccere, quem æquiorem esse exi-
stimo. Scribis in epistola tua me authoritatī hominum nimium
tribuere. Item alio in loco, me in disputationibus meis authori-
tatem, ordinem & disciplinam Ecclesiæ singulariter vrgere.
Vt or enim verbis tuis. Quid? leuia hæc arma putas cōtra hostes
Ecclesiæ? Ego alia non habeo, tu si meliora nosti, profer. Utar te-
cum, & æquo Marte in certamen descendam. Sed neq; habes a-
lia, neq; his ipsis carere potes, quamuis dissimulare coneris. Cur
enim nomen Augustini, Ambrosij, Chrysostomi, Cypriani, to-
ties auditur in defensionibus tuis? An quia non plus credēdum
illis, quām tibi putas? Cur allegas igitur? Cur libellos tuos au-
thoritate illorum oneras? O miram conscientiæ vim. Frustra ces-
latur verbis, quod re ipsa dissimulari non potest. Sed delectum
agis opinor, nam hoc omnes dicitis. Itaque Philippus in libello
quodam, dum agit censuram patrum, alios in hoc, alios in illo
lapsos esse dicit, nec quenquam à mille & trecētis annis tam bo-

C ii num

RESPONSIO BART. LATOMI

num ciuem habuit Ecclesia, quem integrum & sine nota dimitat. Sed tamen delectum agit Buccerus, & quæ commoda ei sunt, excerptit de patrum scriptis: quæ contra eum faciunt, reticet, ut aiunt, aut non optima fide promit. Ita ne vero: Tu excerpis, quod tibi cōmodum est, ex orthodoxorum patrum libris, & quod contra te est, reiçis, cum neges interim ullius hominis autoritatem recipiendam esse? Quæ est ista varietas? Aut ut vtere mecum armis omnibus aut omnibus abstine. Nō est delectus, quem tu putas, sed dolus. Tu enim cum in harenam descendes ris, ut certis mecum armis dimices, similes quidem hoc agere te, sed fallas pugnam, & præstigias populo facias. Quid enim aliud agis? Non credis patribus, & tamen vteris eorum sententijs cōtra me. Quid hoc est aliud, quām si dicas, scriptura clamat contra papistas, & cosdem condemnant orthodoxi patres? Quid restat igitur, nisi vt euertamus regnum Antichristi, & ruina eius nos in libertatem afferamus? Mentior hic Buccere? An hoc non est consilium artis vestræ? Non in concionibus tantum, sed etiam in libellis vestris crebro iactatis sanctorum patrum sententijs. Quid ita: nisi vt non tam dissentire ab illis, quām ipsorum auctoritate aduersarios iugulare videamini. Sed mitto artificium, ad rem redeamus. Tu non credis patribus: neq; ego tibi credo, qui enim coges me? Deinde quid cauſæ est, cur plus credam in te iudicij, plus doctrinæ, plus veritatis esse, quām non dico in aliquo patrum, sed in Fabro, in Eccio, in Erasmo? Num iniuriam facio, si te illis non antepono? Ignoscet mihi Buccere, nihil contumeliose dico, sciunt multi, quibus nominibus te sæpe prædicauerim: sed tamen si collatio facienda est, ut est necesse in hac causa, si verum quærendum, quid dicam aliud, nisi quod dici conuenit, & quod res ipsa postulat? Tu non credis patribus, nec ego tibi credo. Lutherus Augustinum non recipit, hominem nullum recipit, ego Lutherum recipiam: Augustinus, Ambrosius, Hieronymus Cathedram Ecclesiæ Romæ collocant, summum faciunt Rom. Pontificem, huic claves, huic gubernaculum, huic iudicium Ecclesiæ tribuunt, vtuntur scripturæ testimonij, maiorum

AD EPIST. BUCCERI.

rum authoritatem, consensum longissimi temporis allegant. Quid contra hęc Lutherus pugnat acriter, conuicia, maledicta, scommata ingerit, allegat & ipse scripturas, diluit quę obstat vi dentur, mutat, torquet, flectit qua potest, & in aliū sensum diuer tit. Quem igitur, quem sequi me iubes? Attende Buccere, & cogita diligenter, quid respondeas. Bonum te virum multi prae dicant, amantem veri, amantem pacis & concordiae, & ego videor mihi in te perspexisse quandam ingenij rectitudinem. Quod si pro singulari prudentia & doctrina tua verum ut iudicas, ita fate ri volueris, quid dices obsecro? Lutherum ne antepones tot hominum, tot seculorum authoritati, & aliquid ei in mentem veni re potuisse putabis, quod tātorum temporum interuallo, tot doctissimis sapientissimisq; viris, tot Ecclesiæ orbisq; terrarum lus minibus non venerit? Quid tantis temporibus errauerit Ecclesia, verum Euangelium Christi, verum cultum ignorauerit? & sponsa Christi haeredit tamdiu in adulterij amplexibus? Vbi est ergo sponsi fides? vbi indiuidua illa coniunctio? Sponsa mea, inse quit, columba mea, dilecta mea. Vbi promissiones illæ? Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos, mittam vobis spiritum veritatis. Et: Omnibus diebus usq; ad consummationem seculi vobiscum sum: Mendax ne sponsus, & falsa Christi promissio? Audi quid dicam Buccere, nihil enim dissimile. Si in tanta caligine, quantam vos dicitis, orbis Christianus tanto temporum interuallo oppressus iacuit: si non Christi, sed Antichristi regnum apud eos, qui nomen Christo dederunt, tanto tempore valuit: estq; necesse hęc nunc vertere omnia, quæ supra mille annos in Ecclesia viguerūt, nouamq; doctrinam recipi, alienam ab ea, quam sancti patres, quam Ecclesiæ authoritas tradidit: non patiar me falli diutius, nec vano Euangelij nomine decipi, sed facta falsa q; omnia, quæ de religione prodita sunt, nomenq; Ecclesiæ com mentitum, vanum atque inane putabo. Habes quid sentiam de his, quę ad me retulisti, nec minus interim de Philippi libello, ad quem singulatim respondere operæ precium visum non est. Diserte enim ille, ut Philippi omnia, sed tamen ex dogmate magis

C in stri

RESPONSIO BART. LATOMI

stri sui scriptus est. Nunc illud abs te peto, vt mihi ignoscas, filius
terior in hac disputatione vehementiorq; fui. Non est enim fa-
ctum odio tui, sed me longius, quam vellem, euexit, cum indis-
gnitas rerum, quæ mihi in hac causa visæ sunt, tum feruor qui-
dam ingenij mei, qui in ipso cursu scribendi extulit me, nec pas-
sus est, sicut institueram temperare mihi. Deinde illud etiā oro,
ne me putas ullo tempore in hac opinione non fuisse. Erras eān,
si ita existimas, me maiorum authoritate posthabita, Lutheri do-
ctrinam vñquam approbare voluisse, quam suspectam semper
& popularem habui. Illud saepe ex me auditū est, prolapsam esse
Ecclesiæ disciplinam, mores corruptos, vitam procerum & mi-
nistrorum ordinis Ecclesiastici, luxu, auaritia, ambitione, inqui-
natam esse: doctrinam partim negligi, partim sordide & impu-
re tractari: ex quo factum sit, vt concionatores indocti, absurdī
atq; inepti habeantur in Ecclesijs. Illud etiam saepe conquestus
sum, negligi curam animarum, & parochias deseriri, certari de
ociosis beneficijs, & calumniosarum litium, turpiumq; nundis-
nationum in quærendis sacerdotijs finem nullum esse. Itaq; ex
his malis grauiora iampridem secuta esse, dissidium pene barba-
ricum in Ecclesia, religionem corruptam, ignorationem verbi
Euangelici, abiectam veterum disciplinam, animos dissolutos,
vitam impiam, contemptum Dei, contemptum magistratum,
odium sacerdotum, & vt semel dicam, tantam viciorum, sceles-
rumq; molem, quantam vix hodie sustinere possumus. In his fa-
teor dolorem meum saepe animaduersum esse, vocem saepe exau-
ditam, quæ vtinam falsa fuisset semper, ac ne nunc quidem vera
inueniretur, facile & æquo animo paterer me leuitatis argui. Ni-
hil igitur mutatus sum, vt tu mihi exprobrare conaris Buccere,
& si essem, nihil me puderet mutati consilijs. Sed mutatus non
sum, idem sum, qui fui semper, in Germania, Gallia, Italia, ac de-
sententia mea ne tantillum quidem deflexi. Quod si ignoras,
quære ex Ioanne Sturmio, quem amicissimum in Gallia, & fra-
tris loco habui. Quære ex Ioanne Sleidano, quem pariter Lute-
tia, & amicum singularem, & familiarissimum habui. Quære

ex

AD EPIST. BVCCERI.

ex alijs multis doctis mihiq; coniunctissimis hominibus, qui partim adhuc viuunt in Gallia, partim iam inde discesserūt. Sed quid opus est singulorum hominum testimonij? Publice docui per nouem annos in Gymnasio Parisiensi, multos studiosos & attentos auditores habui, dicat & refellat mendacium meum, quisquis vñquam verbum ex me audiuuit, quod Lutheri doctrinam oluerit. Theologi Parisienses diligenter inquirere solebant in eos, qui de Lutheranismo suspecti erant, & præsertim in Germanos omnes. De me autem quid senserint, quid sæpe loquuti sint, ex alijs te audire, quām ex epistola mea cognoscere malo. Sed nunc finem facio. Longius enim, quām institueram, procurrit epistola. Si quid rescribere ad me voles, & respondere ijs (quod te facturum esse video) quæ à me necessario, sed candide & ingenua libertate scripta sunt, poteris id facere arbitratu tuo. Me enim non offendes, modo intra fines disputatiōis constiteris, nec dissimulaueris ea, quæ hic in meam partem, si non tanto applausu & felicitate ad populum, libere tamen & incorrupto animo scripta sunt. Quanquam illud non ignoras, me ciuilibus negotijs implicitum esse, nec vacare posse his studijs, quæ ociosum hominem & Theologum requirunt. Quamobrem parces mihi, & imputabis occupationibus meis, si te non sequar longius. Quod si delectaris hoc genere dimicationis, & neruosi us ista, quām à me tentatum est, disputari desideras, inuenies alios magis idoneos ad hoc certamen, meq; imparem tibi, & in alio campo versantem, pro tua æquitate atq; prudentia missum facies.


Vale, Confluentiæ XII, Iuli.

M. D. XLIII.

FINIS.

AB: 155577

X R83713



Farbkarte #13

B.I.G.	Black	3/Color	White	Magenta	Red	Yellow	Green	Cyan	Blue
8									
7									
6									
5									
4									
3									
2									
1									
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9

RESPONSIO
BARTHOLOMAEI LATOMI AD
epistolam quandam Martini Bucceri de dispen-
satione Eucharistiae, & inuocatione diuo-
rum, & de coelibatu sacerdotum, in
qua interim Ecclesiæ & san-
ctorum patrum autho-
ritas acerrime de-
fenditur.



COLONIAE, ex officina Melchioris
Nouesiani, Anno M. D. XLIII.